



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

2 Quæ remedia scrupulosis sint adhibenda?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



nuper relatis, & ex Nauarr. *sum. pralud. s. n. 9. & cap. 27. num. 28.* & *cap. si quis autem, de penit. disp. 7. n. 64.* Thom. Sanch. *in Decal. lib. 1. cap. 10. num. 80.* Ioan. Sanch. *disp. 41. à n. 7.* Ratio, quia scrupulus non tollit iudicium certum, vel probabile de honestate actus, saltem per principia extrinseca, seu ex auctoritate aliorum; licet illud iudicium suffocet aliquo modo, & quasi densis tenebris obnubilet. Aliàs si tolleret iudicium, iam non esset scrupulus, sed dubium. Stante ergo iudicio certo, vel probabili de honestate actus, clarum est stare firmam regulam honeste operationis. Ergo potest se illi scrupulosus confortare, Quòd autem hoc sit laudabile, ex eo conuincitur, quia oportet huiusmodi dubitationes, & formidines, utpote frivolas, & sine ratione sobortas sedare: nullum autem efficacius remedium inueniri potest, quam si illis scrupulosus non acquiescat. Ergo. Adde non solum licitum, & laudabile esse, sed aliquando obligatorium, agere contra scrupulum, videlicet, si ex anxietate scrupulorum graue damnum salutis scrupulosus pateretur, aut se officio proprio prestando inutilem redderet, aut à communione, vel confessione, aut alia actione sub precepto obligante retraheretur, ita Sayrus *in clauis regie, lib. 1. cap. 14. Valent. supra. Salas, n. 298.* Thom. Sanch. *n. 83.* Ioan. Sanch. *n. 7. in fin. Montef. 1. 2. disp. 29. q. 6. n. 255.*

Ex hac doctrina constat necessarium non esse deponere scrupulum, ut recta sit operatio: cum enim scrupulus (ut dictum est) non constituit dubium formaliter, neque tollat assensum oppositæ patris, nihil obstat rectæ operationi: & ita tradunt Nauarr. Vasquez, Valent. uterque Sanchez & alij *suprà.*

3 Sed obijci primò, *cap. per tuas, de simon.* ubi quidam ordinatus ab Episcopo, qui dicebatur Simoniacus, permittitur in suscepto ordine ministrare: non tamen ab eodem vltius promoueri, nisi deponat errorem, qui error ex conscientia nimis scrupulosa ortum habuit, ut ibidem dicitur. Ergo facere contra scrupulum, illo non deposito, non licet.

Respondeo sic ordinatum non habuisse scrupulum, sed errorem, et si talis error ex conscientia scrupulosa ortum habuerit, Agere autem contra conscientiam erroneam, errore non deposito, malum est, quia tollit iudicium certum, vel probabile de honestate actus, ut in 1. disp. huius tract. diximus. Non tamen est malum agere contra scrupulum, illo non deposito, quia scrupulus, cum non sit iudicium, sed quædam leuis suspitio, & formido, non tollit assensum. Ut autem scrupulus non veniant in errorem, debemus illis in principio obistere.

Obijci secundo *cap. inquisitioni, de sentent. excom.* ubi conuictus dubitans de matrimonij valore, si ex leui, & temeraria credulitate dubitat, dicitur debere conscientiam hanc leuem, & temerariam explodere, ut licite possit non solum reddere, sed exigere debitum. Ergo iam scrupulus ad recte operandum est deponendus.

Respondeo primò cum gloss. *ibid.* deberi huiusmodi conscientiam leuam, & temerariam credulitatis explodi: quia illa conscientia non scrupulus, sed dubium, vel potius error erat, tollens contrarium iudicium de honestate actus.

Secundò respondeo cum Thom. Sanch. *in Decal. cap. 10. num. 81.* conscientiam ex leui, & temeraria credulitate subortam debere explodi quoad consensum in illam: non enim iustum est illi acquiescere. At non est necessarium illam explodere quoad sensum, id est, illam non sentire; vix enim possibile est agitarum scrupulis, illos ita à se explodere, ut eorum vexationem non sentiant.

## PUNCTUM II.

### Quæ remedia scrupulosis sint adhibenda.

- 1 Oportet scrupulum cognoscere, & quomodo cognoscendus sit.
- 2 Si scrupulus sit in rebus efficiendis, non debet scrupulosus in earum examinatione detineri.
- 3 Si de rebus præteritis, non debet eas sum facere, nisi res clara sit.
- 4 Non debent confessiones repeti ab scrupulosis.
- 5 Nec illorum dubia Confessarius semper audire.
- 6 Eorum dubitationes in mitiorem partem interpretanda sunt.
- 7 Alia remedia videri possunt apud Doctores.

1 **V**T remedia scrupulosis adhibeamus, curandum est, ut si scrupulosus esse cognoscatur. Ut autem sic lætos se cognoscere possint, non suo iudicio, sed iudicio Confessoris, vel alterius viri docti, cui suam conscientiam sæpius declarauerit, stare debent. Confessarius vel vir doctus cogouit aliquem scrupulis vexari, si deprehendat sæpius illum sine fundamento firmo existimare esse peccatum, quod re vera non est, ut notant ferè omnes Doctores *suprà* relati. Item scrupuli possunt esse in vna materia tantum, vel in pluribus; sed de omnibus est idem dicendum, ut ex sequentibus constabit.

2 Si scrupuli sint de rebus efficiendis, eo quòd scrupulosi suspicantur se illa efficiendo peccate mortaliter, debet Confessarius scrupulosos monere, ne se in eorum examinatione detineant, sed si primo aspectu, ut illicita non cognoscunt certò, & sine formidine, credant licita esse, ita Vasquez *disp. 67. cap. 2. ad finem.* Azor. *lib. 2. cap. 20. q. vlt.* Salas *conclus. 3.* Thom. Sanch. *c. 10. n. 81.* qui optimè addit cum Vasquez, aliquando posse aliquem ita scrupulis vexari, ut consili possit, ne quid vt mortale reputet, quin iuriclarando possit affirmare ita esse. Ratio est, quia scrupulosus capax non est examinandi rationes, cum leues, & frivole, vt grauissimè illi offerantur, & quanto intensius & accuratius examinationi incumbit, tanto magis de illis tenebris obvoluetur, vt experientia docet. Quòd si aliquando contingat hunc scrupulosum aliquid illicitum efficere, non illi est culpæ tribuendum, cum ex recta intentione ob vitanda grauissima inconuenientia processerit, nullo modo facturus; si existimaret sibi aliquod malum adesse, ita ex Caicran. Cordub. & communi notatit Villalob. *tom. 1. sum. tract. 1. diff. 26. vers. y notese mucho.*

3 Si vero scrupuli sint, ut sæpius esse solent de rebus præteritis, an scilicet confiteris in aliquam cogitationem turpem blasphemiam, desperationis, vel quid simile; tunc eadem regula seruanda est, ut nisi certò, & absque inuestigatione tibi constet confensisse, reputare potes non præbuisse consensum ita Thom. Sanch. *suprà.* Azor. *lib. 1. cap. 20. quaest. 7.* Peccata enim mortalia de se ita manifesta sunt, ut primo aspectu, præcipue à timoratis, cognosci possint.

4 Quòd si non de peccatis scrupuli sint, sed de obligatione inde conseruante, an scilicet confessiones factæ fuerint legitime, hoc est, de omnibus peccatis, vel cum sufficiente examine, & dolore; nullo modo Sacerdos permittat repetere confessiones, quando constat mediocrem diligentiam in confessione facta adhibitam esse, Quia probabiliter, imò moraliter certò presumere debet precepto confessionis scrupulosum satisfecisse, Aliàs si confessionem permittit repeti; scrupulosus in infinitum augetur, & facta vna confessione, de eadem ipsa vehementiori scrupulo agitabitur, an fuerit cum vero dolore, sufficiente examine, &c. Quapropter bene dixit Eman. Saa *verbo dubium, num. 5. edit. Complut. & Rom.* scrupulosum non teneri fateri, nisi quæ potest iurare, & fuisse peccata mortalia, & se nunquam illa fuisse confessum: cui doctrinæ consentit Thom. Sanchez *suprà* num. 85. Ioan. Sanchez aliis relatis *disp. 41. num. 18. & 20. fine.*

5 Aduertunt Azor *suprà* q. 7. Thom. Sanch. *num. 83.* Ioan. Sanch. *n. 29.* non debere Confessarium frequenter, & in plurimum dubitationes scrupulosis admittere, sed illum repellere etiam vt bis apertis, vt Christus *Matth. 8.* discipulis timentibus naufragium dixit, *Quid timidi estis modica fidei?* id est modicæ fiducia; siue confidentiæ; aliàs nunquam fons scrupulorum extingueretur.

6 Tandem dicunt, & bene supradicti Doctores, specialiter Azor, & Sanchez, debere Confessarium dubitationes scrupulosis hominis semper in mitiorem partem interpretari. Tum quia dubia in mitiorem partem interpretanda sunt, ex text. *in c. errore, de reg. iur.* Tum & præcipue, quia ipsæmet scrupulosus, & formido grauiora omnia repræsentat, quam in se sunt, facitque trepidare, ubi nulla est occasio trepidationis, vel timoris.

7 Alia remedia videri possunt contra scrupulos in Laurent. Iustinian. *de disciplina Christiana relig. c. 11.* Gerson. *p. 2. tract. de preparat. ad Missam, confid. 3.* Syluest. *verbo scrupulus, Villalobos tom. 1. sum. tract. 1. diff. 27.* Rodrig. *tom. 3. qq. regul. q. 66. art. 3. per rotam.* Salas *1. 2. tract. 7. de conscientia, disp. vnic. sect. 29. circa finem.* & aliis ab eisdem relatis.